

caterum anxius inuidia, & muliebri fastigium ^a in diminutionem sui accipiens, ne licetorem quidem ei decerni passus est: aramque adoptionis, & alia huiusmodi prohibuit. ^b At Germanico Cæsari proconsulare imperium petiuit, missique legati qui deferrent, simul ^d mæstitiam eius, ob excessum Augusti, solarentur. quo minus idem pro Druso postularetur, causa, quod designatus consul Drusus, præfensque erat. Cædidos præterea duodecim nominauit, numerum ab ^e Augusto traditum: & hortante senatu, ut augeter, ^f iureiurando obstrinxit, se non excessurum. Tum primum è campo comitia ad ^g patres trāsata sunt. Nam ad eam diem, etsi potissima arbitrio principis, quædam tamen studiis tribuum fiebant. Neque ^h populus adeptum ius questus est, nisi inani ⁱ rumore: & senatus largitionibus ac precibus sordidis exolutus, libens tenuit, ^k moderante

OBSERVATIONES.

a Obseruent principes, sibi imprimis cauto opus esse, ne cui mortalium, quisquis ille est, ac ne paribus quidem maiores, quam ipsi usque adepti sunt, honores decerni patiantur. qui quid enim fastigij apud alios est, id haud dubie vertitur in diminutionem sui. Quin & illud addo; Quo magis propinqui, & affines principis erecti sunt in spem adipiscendi summos honores, tanto impensius principem eniti debere ut eos deprimat; adeo ut nunquam non eos sibi subiectos despiciat; illi autem ipsum suscipiant. Tiberius certe matri ne licetorem quidem decerni passus est.

b Quem princeps ob genus, ac virtutem, principatum, regnumue adipisci posse, si modo velit, videt, huic ut non maxima quæque concedere, ita & multa vltro tribuere debet. Siquidem ex nimia amoris significatione, verendum est, ne is insolens, ac principi ipsi intolerandus euadat, contra etiam si spreus, contemptusque sit, eò usque irritetur, ut id tandem, quod se posse sperat, audeat.

c Nihil est tam visitatum, ac tritum, quam dignitates absentibus per legatos mitti posse.

d Mittuntur etiam legati ad propinquos principis defuncti; nempe, ad solandam eorum mæstitiam propter illius obitum.

e Consultate faciet princeps, si non mutabit, quoad eius fieri potest, ea, quæ à defuncto principe, cui ipse in principatu successit, gratissimæ memoriæ homine insituta, & obseruata sunt.

f Libero iureiurando quemque obstringi constat.

g Ea est natura principatus, ut populo eripiat ius suffragij ferendi; illudque transferat ad paucos principi deuinctos.

h Nouus princeps etsi in eo totus esse debet, ut, quacunque ratione potest, omnia ad se vnum trahat, tamen id sensim facere debet, ne ob repentinam status mutationem, vno omnium ore tyrannus, hoc est, reip. hostis iudicetur, ac proinde parum sua & vite, & existimationi consulat. Certe Augustus ius suffragij ferendi populo non eripuit quidem, sed id dedit operam, ut potissima quæque arbitrio suo administrarentur, id quod cum suis artibus, suæque potentia adeptus esset, potuit Tiberius paruo negotio, quod reliquum erat, perficere, nempe, eripere populo pristinae libertatis immemori ius suffragij ferendi, quod cum reuera esset inane, siquidem maximæ quæque res ab vnius principis voluntate pendebant, non mirum est, si speciem & imaginem hanc libertatis verius, quam libertatem, ab Augusto per ludibrium relictam sibi eripi nequaquam populus est questus.

i Princeps ut populi consensum non spernere, ita inani eiusdem rumore commoueri non debet.

k Qui recens oppressit temp. id agere debet, ut ipse vnus magistratus creet eos, qui sibi ab senatu commendantur. Sic enim potentioribus satisfacit, sibi que illos deuincit, qui quam obtrinent dignitatem ipsi acceptam referunt, hi autem qui desonantur, seu commendantur debent esse pauci; ne, cum paucos creati oporteat, multi, qui repulsam passi sunt, se spreos esse queri possint.